N A T U R Æ,
VIRTUTISQUE CERTAMEN
AD EXCELLENTISSIMUM TORELLÆ PRINCIPEM
O R A T I O.



Icturum apud Te, PRINCIPS EXCELLENTISSIME, verecunda me veneratio elinguē faceret, niſi ſuaviſſima humanitas tua, & recentia gaudia noſtra incitarent ad loquendum : neque enim inerudito cuiquam deeſſe patitur orationem erudita exultantium affluentia ſubditorum. Equidem non centum mihi linguas (quod in graviſſimis argumentis canorum fuit votum poetarum,) ſed unam ejuſmodi optaverim, quæ Celſiſſimi PRINCIPIS INFAN-



TIS CAROLI BORBONII Tecum ad nos properantis, præclarissimum, & jamdiu expectatum beneficium, grata laudationis brevitate complectatur, & recolat. Apposite autem recoli a me posse existimo, si, ut felicem hunc Italiæ respirantis horoscopon obsequentissimus tandem aliquando suspicio; ita Te mihi in primis contemplandum proponam. Amplum Tu mihi Theatrum unus explicas, quo Tibi non alienas laudes appingam, sed tuas deferam. Patere, humanissime Princeps, ut modestiam tuam vulnerem: & quando Te non tam Tibi, quam nobilissimæ Patriæ, atque inclytæ Familiæ tuæ; immo universo terrarum Orbi dedit Natura, liceat mihi, suffuso genis tuis sanguine, Naturæ, ac Virtutis decora famę noscenda vulgare, ut hoc ingenito colore vitiis, hostibusque vel pudorem inferam, vel convicium. Haud sane in Te laudes congero, ut laudem, sed ut a-

do-

dolescentiæ, juventutis, & nobilitatis exemplar statuam, publici prævaricator boni, si taceam: quæ cum Tibi Deo auctore contigerint, injurius profecto sit Numini, qui ea silentio premat; haud illi absimilis, qui dicatum Numini, Superisque simulacrum infodiat. Habeat igitur Fama, quæ narret ex vero veri Principis decora; quando vel arcana, vel ficta, & commentitia cæterorum probra pronis hominum auribus insusurrat.

Contendunt plane Virtus, & Natura, ut fortunam tuam vel æquarent, vel vincerent, ac Te hujus fastigio altius efferrent: enimvero utriusque non conatum modo, sed votum, opus implevit, NATURÆ SCILICET, VIRTUTISQUE CERTAMEN. Fortunę indulgentiã occupavit Natura: hæc Te prior Principẽ efformavit; adeout peccasse illam censeremus, nisi Principis in Te insignia contulisset. Eum scilicet corporis habitum, eam

Te præferre mentis indolem voluit, ut omnium animos facili negotio in dulce servitium afferas, nativoque dominatùs jure, omnibus, qui Te, Tuosque norunt, perbelle imperes, unoque fasce supremis infimisque ita præsis, ut præesse merearis, neque fastigium occupaveris, sed acceperis. Nam quis adeo truncus, ac stipes sit, quem vel primo aspectu ad Tui obsequium non cogat elegans iste oris cum majestate lepos, cum lepore majestas, ac numeris omnibus absoluta totius corporis forma? Quid excelsa animi indoles, ac blande vivax ingenium? Hominum animos, aureos alios, ad imperium, alios argenteos, ad obsequium; ferreos alios, ad servitium a natura factos non inscite finxit Plato. Tibi plane ex aurea, eaque splendidiore vena animum contigisse, mentis index vultus prodit; hic enim velut e throno eminet suo; quo se Tibi vel ad obsequium, vel ad servitium facile

cile

cile ſubdant, qui Te ſibi naturæ vel munere, vel ſuffragio præeſſe intelligunt.

Quæ omnia, etſi plane abeſſent, ſatis Tibi ad formam, ſatis ad animorum auctoramentũ, Virtutis decor: nam quantus in genis pudor! quanta exporrecta in fronte ſerenitas! quanta in ſupercilio lenitas! quanta in oculis modeſtia! quanta in toto vultu liberalitas! Quæ quidem corporis, animique decora, etſi ipſorum cenſu mira ſint, vel ipſam ſane admirationem vincunt, quod in Te nec fortunæ, nec adoleſcentiæ confinio læduntur. Et vero quam facile naturæ muneribus abutitur adoleſcentia? hæc enim ſuo veluti æſtro juvenile ingenium, vel in illecebras, nugaſque, vel in leviſſima ſtudia, voluptatis lenocinio abripit: quin & egregiam quoque indolem tranſverſam agit, & ingenitæ virtutis igniculos vel fervidi ſanguinis aſpergine, vel afflato alieni oris contagio

gio extinguit. Quid quod & vitia non raro æſtuans illa ætas deſpumat, quæ fœcundiori naturæ fundo uberius profluunt; tum maxime, cum plures adſunt, qui ea ætatis patrocinio tuentur, & poſitum a natura ſceleribus aggerem auferunt, Verecundiam. At Te Juvenem nemo, niſi qui e genarum flore ætatis tuæ ver æſtimet, facile ſibi perſuadeat. Quæ enim vel canitiem ipſam decorant, in conſiliis prudentia, in animi motibus moderatio, in verbis maturitas, in inceſſu gravitas, exactus denique ad honeſtatis normam rebus in omnibus modus Te unice exornant; adeo, ut quod nonniſi raro terrarum orbis ſuſpicit, id palam omnibus præferas, ſenilem adoleſcentiam: non illam quidem, quæ naturæ potius vitio, quam virtutis robore, levem ſe ſe in frugem intempeſtive induit, ut celerius marceſcat; ſed quam ſeverior inſtitutio, Patris exemplum, excelſa Fratrum, & Pa-

truo-

truorum, & plane Principatu facta indoles educant, quæque futurum inter Principes Heroem initiet; ut ex ipsa, quemadmodum e nitidiore aurora splendidiorem diem, nonnisi uberiora decorum incrementa, per ætatis gradus, liceat augurari.

Quod ut oppido magnum; illud tamen altius, quod non supra ætatem modo, sed supra fortunam emines. Perquam rarum illud in adolescente præsertim Principe, ut fortunam suam sub potestate habeat, ut ejus indulgentia ad licentiam non abutatur. De Alexandro cæteroqui Magno, proditum, fortuna illum suâ minorem fuisse: omnisi scilicet potens, sui impotens visus: quod si absit licentia, vix aberit a fortuna supercilium, quo fastigium suum, ut excelsius effert, ita ad obsequium alios demissius abiicit. At Tibi quam hæc ignota superbientis fortunæ crimina! Emines quidem, sed ut humanitate omni-

mnibus pateas, facili omnibus nutu conniveas, beneficientia omnibus proſis: dignitatem namque comitatemque ita temperas, ut quod comitati tribuis, haud decedat dignitati: blando omnes affatu, leni omnes ſupercilio excipis; adeout nemo Te propius norit, quin Sirenis delicias prædicet: Principem exuere videris; ſed tum maxime Principem induis: quod enim de Gallico Hercule dictum, aureas ex ore catenas evolvis, quibus non aures modo, ſed animos nectis; amoris nimirum vinculo, quo ut nihil lenius, nihil etiam robuſtius alligat.

Illud vero præclariſſimum, quod non homines modo, ſed Superos Tibi in primis religione, ac pietate devincis, eoque excellis maxime, quod Te Deo unice ſubiicis. Debes hoc Numini; quod luce Te afflat ſua: Debes Parenti optimo, debes Patruis, ac Majoribus tuis omnigena virtutis, ac pietatis laude

floren-

florentissimis; quos non degener assecla non sequeris modo, sed æmularis. Complexi sunt illi animo virtutes omnes, vel quæ hominem decent, vel quæ Principem ornant, atque ad earum normam, & sibi, & populis imperarunt. At omnibus excellit Pietas: hæc illis e vultu, hæc e moribus, atque assiduo Superum cultu semper emicavit, ut spirans in eis Divini Numinis simulacrum agnoveris. Illos Tu assidue intueris, ad eorum sanctos, castosque mores te ipsum fingis, ut quemadmodum cum fortuna, ita & inter se certare Natura, ac Virtus videantur: Utra in Te Patrem, Avosque tuos magis exprimat, citra omnem dubitationis aleam profitemur: conservere tamen manus; nam quod altera adumbravit, perficit altera: adeout qui laudes tuas paucis complecti voluerit, hac una omnes efferat, elevetque: si Te omnibus numeris absolutum Patris, Patruorum, Ata-

vorum exemplum dixerit.

Ad hæc animi, corporisque ornamenta, literarum decus accedit, quod Principes ipsos supra regium ipsum stemma evehit sublimius, augustius exornat. Et vero quis efferat satis, quanto in illas amore inflammaris, & æstuas? plane Alphonsi Aragonii in Te mentem animadvertimus, qui Regno, quam literis carere maluisset; fortuna enim tua potius, quam iis exui velles: sapientum scilicet lance humanæ mentis decora expendis, eaque tanto cæteris hominum bonis præstare intelligis, quanto rebus omnibus, Divinitatis fastigio accedens, animus excellit. Hinc ardens illos in magistros tuos studium, quibus maximum obtigit minerval; scilicet amor tuus. Hinc illa sapientum virorum laus, atque æstimatio, qui abs Te honestissime habiti, stoico illo in aulas convicio abstinere coguntur, quod in iis scurræ potius,

quam

quam sapientes in pretio sint. Equidem Salomonis Te indolem præferre dixerim; sapientiæ nimirum amore captus, hanc unice deperis, cætera omnia præ illa splendido contemptu despicis: hoc dispar, quod Salomoni quidem per somnium otianti contigit, Tu illam tibi vigiliis, laboribusque, dotali veluti censu despondes: quod enim in Principe insolens, & mirum, dies omnes, eosque solidos literis impendis, & modo chartis impallescere, modo viros eruditione præstantes alloqui, modo præceptores audire, Tibi laus est. Inde felix ille, atque expeditus in disciplinarum omnium stadio progressus; lauta eruditionis e sacra, prophanaque historia supellex; firmior, eoque altior e cultioris, penitiorisque Philosophiæ, ac Matheseos penetralibus doctrina; exacta non latini modo sermonis, sed exterarum etiam linguarum peritia; optimorum, primæque notæ auctorum

 non

non cognitio duntaxat, sed crisis. Quibus omnibus ita emines, ut superbire possit Patria in tui admirationem defixa. Extulit se quidem illa, quum omnia in Domo, ac Familia tua ad majestatem splendide composita suspexit; nihil adeo commune supercilium defigit ac Tui conspectus: ut enim in unionibus miraculo est, teste Plinio, in arctum contracta naturæ majestas; ita veluti contracta sapientiæ majestas, & maximum in florenti ætate virtutum decus, admirationem extorquet. Mirabamur impense vetustissimum nobilitatis florē, CARACZOLORUM prosapiam illustrissimam, illam scilicet nobilitatem, quæ supra mille, ac sexcentos annos in clarissimis, meritissimisque viris equestri loco natis sese floruisse gloriatur; quæ deinde per longam Heroum posteritatem, atque (ut paucos memorem ex infinitis) per Pontifices maximos, per Purpuratos Patres, per Principis Vrbis

Ro-

Romę Senatores,Pręfectos,Vexilliferos, per innumeros exercitus Imperatores, ſupremos caſtrorum Mareſcallos, aureæ clavis, & aurei velleris Equites, Conſules, Oratores, Legatos, Moderatores Provinciarum, Proreges, Magnos Regni Cancellarios, Magnos Rhodiorum, Templariorum, ac Teutonicorum Equitum Magiſtros, Principes, Duces, Marchiones, Comites, Antiſtites ipſo numero plures; per communione connubiorum contractas affinitates cum Regibus, ac Viris Principibus; quæque per generoſos traduces in Hiſpaniam, Angliam, Galliam, Germaniam, Poloniamque longe lateque diffuſa, & ad potentiſſimos dominatus traducta; quę demum ab uno laudum omnium capaciſſimo, magni nominis, majoris indolis JOSEPHO Patre tuo mirifice amplificata eſt: Te majorum luce clarum, clariorem tua maturiore in ætate Orbis ſuſpiciet, quem tantopere in adole-

ſcen-

ſcentia mirata eſt . Jam exteræ gentes tui nominis fama ſolicitæ , dum a Patria, Tuiſque procul abfuiſti, oculos vultu expleverunt tuo, nec amplius famæ de Te, ſed ſibi crediderunt : imo & famam arguent, quod licet magna, vero tamen minora vulgarit . Fallimur, an ſpes ſuas demum impleri, ſibi gratulatur Italia? quum Te italas, pluresque urbes officii cauſa obiiſſe audivimus, mœrore confecti, quantam, quæſo, fecimus, Te abſente, jacturam? Sed qui tua nuper abſentia exanimabantur; præ ceteris autem amantiſſima ſoror tua ſanctimonialis ANTONIA in ampliſſimo nobilium virginum Domnæ Reginæ Aſceterio, conſanguinei, affineſque omnes; nunc feliciſſimo reditu tuo reviviſcunt. Eſt plane, quod mihi, & Tuis ex hiſce fauſtiſſimis nunciis gratulemur. Auctius igitur Te ipſum laudas, cum oſtendis, auctius ſpem excitas, dum prodis; & quando Te propius aſpi-

aſpicimus ; ex animi tui magnitudine auguſtiorem aliquando venturo Celſiſſimo PRINCIPE, amplitudinem auguramur. Jam publicam felicitatem, poſteritatis Familiæque tuæ, religionis, bonarumque artium incrementa, tanto auſpice vaticinamur. Jam ſibi quantus eſt Neapolitanæ Urbis, ac Regnorum utriuſq; Siciliæ ambitus plaudit; tuo enim, & Regii PRINCIPIS adventu, non unius regionis angulo, ſed Italiæ, Hiſpaniæ, Galliæ, HUNC orientem ſolem, Te ſplendidum primæ magnitudinis ſydus exortum credimus, & auſpicamur. Tametſi laudes tuæ in domeſtici ſanguinis venam æſtu quaſi reciproco altius refluunt, ſuaviſſimos germanos tuos præterire non poſſum: quanquam ſatis habeo, ſi ſpem in ipſis, atque indolem, ac primas virtutum gemmulas commendem, & prætextatis veluti laudibus ornem; adeoque in majorum, ac familiæ decora la-

tius

tius excurrere optaverim, ut surculum flosculo comptum e tota gentilitiæ arboris sylva æstimandum proferam: sed immane quantum præconiorum seges excresceret, & prolixior oratio exaggeratis ad panegyrim laudibus profusam in præsentia lætitiam cruentaret. Dies me maturius, quam oratio, & oratio me, quam facta PATRUORUM tuorum deficerent: PATRUI inquam tui, probata in Reges fide, in hostes virtute, gloriosissimi, DOMINICUS, CIARLETTA, FERDINANDUS, JOANNES, quatuor bellorum fulmina, fama indice se offerunt contemplandi. DOMINICUS quidem strenuus castrorum Dux, & Magister apud CAROLUM II. Austriacum Hispaniarum Regem, tot inter ad immortalem gloriam incitamenta, lethali correptus morbo, e vivis præmature sublatus est. CIARLETTA post diutinas præclarasque res gestas sub invictissimo Hispaniarum Rege PHILIPPO, ex ar-

ce

ce Mongiovienſi,cui præerat, Barcinone, muralis machinæ bellico fulmine non expugnabilis miles deturbatus,citra gigantum commentitiam audaciam, ſupra eorundem felicitatem Cœlum expugnavit, atque illo præcipiti caſu, qui caducæ gloriæ ſtipendium fecerat, ad æviternæ ſtationis capitolium reſiliit triumphator. FERDINANDUS in Germania primum ductor Equitum, mox in Hiſpania meritis onuſtior, quam hoſtium ſpoliis, ambitionis caſtris relictis, ingenuus transfuga,pluſquam militare virtuti, ſibi ex virtute maluit imperare. JOANNES denique apud eundem Hiſpaniarum Monarcham PHILIPPUM, exacto pugnandi,vincendique, ut ita dixerim, tyrocinio,ad Imperatoriam exercitus dignitatem, victores inter, ac triumphales militiæ Duces, honorifice, ac celeriter excipitur, & in Sicula expeditione, ſuperioribus annis

acie pressus confertissima, certusque aut vincere, aut mori, acceptis adverso corpore vulneribus, super hostium strage pulcherrime jacuit, occubuitque: verus Martis alumnus, acer, impiger, de se, de familia, de re hispana benemerentissimus, non ante merere desiit, quam vivere; triumphali laurea dignissimus, quod fato, fati victor, obsecutus, fidelitatis victima, obtruncatus ab hoste decesserit fascibus laureatis. Quibus porro laudibus sexcentos alios Heroes celebrem? quibus merito

...... monumentum ære perennius,
Regalique situ Pyramidum altius;
fixit fama, sacravit æternitas.

Quæ cum ita sint, quid ipse interea, Princeps inclyte? quantus ad hæc Patruorum tuorum decora triumphus tuus? unam Tu gloriam de his jure tuo Tibi arrogandam existimas; quamquam omnia Deo O. M. tam egregiorum facinorum authori ultimo synce-

re

re resignas. Agimus, habemusque immortales Numini grätias, qui nos, subditos, clientesque tuos secundum avidissima vota nostra subjici Tibi: Te, Germanumque tuum DOMINICUM, tuas gerentem vices, pro præstantissimo utriusque merito moderari nobis voluit. Deus idem faxit imperio suo, faxint suis precibus Superi omnes, ut florentissima isthæc, qua hodieque fruimur, ad longissimum tempus, Te dominante, felicitas perseveret, ac numerosam sobolem, posterosque plurimos, dignissimos laudum tuarum hæredes, Divi, Divæque omnes exorent, & nos venerabundi poscimus, supplices imploramus.

Nec vanus ipse mihi sim augur: quum enim me Tibi obsequentissimus sistam, ut patrocinium tuum obtester; haud vereor, ne mihi ad decus lux tua desit, quæ omnibus prostat, vel humanitas ad gratiam, qua omnibus arrides.

Patere igitur, ut hoc literario munusculo incomparabilis erga Te, ſtudii,& obſervantiæ meæ, vel pignus, vel teſtimonium Tibi deferam:tenue illud quidem, at tenuis etiam auctor; illum tamen benigno ſæpe aſpectu, atque affatu dignatus es: memor equidem honorificæ bonitatis, ac ſingularis beneficentiæ Tuæ, Tuorumque Majorum, qua me, meoſque Tibi omni obſequio addictiſſimos, tuoque a nutu pendentes, aſſiduis, innumeriſque beneficiis mirificè cumulaſti; quid ni eandem illi gratiam impertias? Hoc magni Principis faſtigium eſt, ut nihil ipſi magnum inferre ad obſequium poſſimus: at hæc etiam humanitas, qua Deo accedit, magnum ducit levidenſe quidquid e paupere manu datur, expromiturque. Exiguas olim ille aquæ guttulas cava manu obtulit magno Regi; at regiam plane retulit gratiam: abunde mihi erit, ſi non ex cenſu, ſed

ex

ex animo æstimaveris : idque unum benignissimus TORELLÆ mihi PRINCEPS indulgeat, ut æquus bonusque accipiat, & respiciat. Hoc rogat

Datum Neapoli die X. Maii MIↃCCXXXIV.

Humillimus; atque omni obsequio addictissimus Famulus, & Cliens
Richardus de Falco.

PER IL GIORNO

Del feliciſſimo ingreſſo nella Capitale del Regno di S. A. Sereniſſima, e Reale

PRINCIPE

DON CARLO SEBASTIANO

INFANTE DI SPAGNA.

SONETTO.

SVelta una Penna de la Fama ai vanni,
Scrivo a l'Eternità note sì belle:
Non mai rotar giorno più fauſto gli anni,
Gli anni, che l'ore d'oro ebbero ancelle.

Queſto è quel Giorno, in cui de l'Oſte a i danni
Sorſero al Ciel le Galliche procelle:
In cui vid' Io fra bellicoſi affanni
Rider con ciglia d'or le Regie Stelle.

Di sì bel giorno ai rai non più ſi crede
Cieca fortuna: anzi del merto al ſuono
Con l'uſate Bilance Aſtrea ſe'n riede.

Or d'ogni età le meraviglie in dono
Tributi il tempo a sì bel dì, che diede
Le Palme a un Regno, e'l Regio INFANTE al Trono.

Sì